

actionis, sev compositionis amicabilis, nos tueri, Promittentes eciam nostro, successorum nostrorum & Ecclesie nostre nomine, nec & nomine heredum sepedicti magistri .N. oddulphi, stipulacione sollempni, Reuerendo viro magistro andree preposito wpsalensi procuratorj capituli & Ecclesie wpsalensis, transactionem, solucionem, & quitacionem, predictas, & omnia ac singula suprascripta, rata & firma, jnuiolabiliter habere & tenere, & non contra *facere* vel venire, aliqua racione vel causa, de jure vel de facto, Jn cuius rei testimonium, de nostra certa sciencia, & mandato speciali, sigillum nostrum, presentibus est appensum. Eciam nos capitulum eiusdem ecclesie skarensis, transactionem, compositionem & solucionem predictas ratas habemus & ex certa sciencia, jn signum approbacionis, presens scriptum, sigillo nostro, vna cum sigillo Domini Episcopi munimus. Datum Jassungi, Anno Domini M^o,CC^o,XC quarto, Jn die beatorum martirum, fabiani & sebastiani.

Sigillen: No 1 bortfallet, 2 andeligt.

1103.

1294 d. 10 April.

Frödawi.

JACOB, Bengt Bossons småsvens testamentariska anordning af sin qvarlätenskap.

A. 4.

Jn nomine patris & filij et spiritus sancti, amen, Ego, JACOBUS, puer domini Benedicti, boson, ad vniuersorum deduco noticiam per jnspeccionem presencium, quod meum Jn hunc modum facio & ordino testamentum Primo, confero fratribus predicatoribus sictionie apud quos eligo sepulturam, si voluerint corpus meum deferre, & apud se sepelire, equm meum brunan, qui stat kraxta jn curia domini, b, boson & quinque marchas den., pro quorum solucione deputo partem anone mee que est in løstum, videlicet duo talenta cum dimidio, Jtem fratribus minoribus vpsalie vnam Marcham den., Jtem ad edificium ecclesie vpsalensis vnam marcham, hospitali Enicopie vnam Marcham, pro solucione istarum trium Marcharum deputo partem anone mee que reposita est jn løstum, videlicet vnum talentum cum dimidio, Jtem domino styrgero, sacerdoti de funboa herethj, vnam Marcham den., ad huius solucionem deputo precium vnus Mantelli quod mihi fuerat inpignorum pro decem orarum, den., & habet illud hølma que manet juxta curiam godhicu scalla sictionie, quod autem ei commiserim predictum pallium testis est johannes dictus girs, due vero ore de predicto precio dentur pauperibus, jtem lego ecclesie beati olauj sictionie vnam Marcham den., vt ibidem fiat aliquid ad honorem sancti olauj & ad soluendum predictam Marcham, assigno fibulam meam argenteam quam habet jagifrid, villica jn frødauj, jtem confero ketillo clohamær & vxorj sue cecilie jn vpsalia, vnam culci-

tram & vnum puluinar, que reposita sunt apud baldanum in raby jn parochia bro, Jtem confero sororj mee vnam culcitram (vndidynu *), & vnum cussinum (hobdabulstar *), & vnum puluinar, duo coopertoria lectorum, vnum pelliceum copertorium lecti. vnam cortinam, que omnia reposita sunt apud predictum haldanum, jtem laurencio dicto haganæ, puero dominj mej clippeum meum qui eciam est apud eundem haldanum, jtem confero sororj mee tria talenta anone que eciam reposita sunt in løstum, jtem sororj mee confero, duas cistas meas que sunt in kraxta, cum omnibus que in eisdem sunt, jtem genero meo do tunicam meam, jtem samsonj cursorj domini mej do equm meum griseum, sellam & frenum, gladium meum & peltam & lanceam meam, tunicam meam griseam & capam griseam, Jtem Magno filio dominj mej do fibulam meam argenteam, ad modum stelle factam quam habet jngifrid villica jn frødauj, jtem siguato puero dominj mej securim meam que bredøx & vnam laternam, jtem johannj dicto snjpu do meum kettilyd, jtem jngimundo procuratorj dominj mej, vnum tapetum quod est jn cista mea que est løstum jtem de precio vnius, Muce, que est kraxta, & valet duodecim oras, do sacerdoti de baldinstad vnam marcham & dimidiam Marcham deputo, pro psalterijs legendis jtem rangualdo puero dominj mej do meum lendæner quod est kraxta, & duos lechitos, jtem bøkiløf puero dominj mej vnum linthiamen quod est in cista mea que stat løstum, jtem gunna coco dominj mej vnum linthiamen, quod est eciam in predicta cista jtem katerine villice jn halqui confero vnam fibulam argenteam & vnum annulum, que eciam sunt in predicta cista jn løstum, jtem jngifridj villice in frødauj, octo vlnas de tela delicata que est in predicta cista, jtem in predicta cista sunt .XIII. vlne. de tela grossa in duobus frustis que dentur ej quj exposuerit telam ad inuoluendum corpus meum, jtem duo linthiamina, & meum kledasech & cetera, que mecum habeo dentur pauperibus propter deum Testes huius ordinationis mee presentes fuerunt, frater jsrael lector sictoniensis, frater hemminger sictoniensis, dominus ascerus sacerdos, Magnus jngulfson, andreas villicus de frødauj, holmuastus sturppj, jngirun, henekinus cocus, hulvirdær Et quia proprium sigillum non habeo jdcirco ad presens testamentum meum, sigilla nobilis domine jngiburgis relicte domini, M, jonson & fratris israelis lectoris sictoniensis, apponj fecj in robur & testimonium rej, Actum frødauj, anno, dominj, M°,CC°,XC°.IIII. sabbato, ante dominicam palmarum.

*) De inom () satte ord hafva, som det synes, med samma hand blifvit satte öfver de latinska såsom förklaring.

Hujus autem testamentj mej executores constituo karissimum dominum meum, dominum benedictum boson & fratrem israelem lectorem sictioniensem, datum loco, tempore & anno, & testibus presentibus supradictis.

Sigillen 1, 2 bortfallna.

1104.

1294 d. 3 Maj.

DAN JOHANS SONS bref angående den mellan honom och Alvastra kloster företagna delning af Sverdinge ö, hvilken han bebodde.

A. 3. v. 1. 11.

Vniuersis presentes litteras inspecturis vel audituris, DAN quondam Dominj iohannis filius, salutem in omnium saluatore, Cum iam dudum inter nos & Monachos de alvastro controuersia mota sit & habita super diuisione insule sverdinge quam inhabitamus, ex eo quod dicti monachi nobis inputant quod terminos possessionis nostre quos in ipsa insula possidemus transgressi simus in edificacionibus, & super adiacentes terminos possessionis sue domos aliquas nobis construxerimus, necnon & amplius quam nostri iuris sit nobis in eadem insula usurpauerimus, Recognoscimus & tenore presencium protestamur quod hoc quidem incaute & minus iuste fecimus, eo quod dicta insula inter nos & memoratos Monachos in vita nostra distinctis terminis aut certis metis non sit partita uel diuisa, Igitur in hac parte lesam habere nolentes conscienciam, ac cedare cupientes omnem controuersiam, Nos anno dominj M^o, C^o, C^o Nonagesimo quarto, jn festo inuencionis sancte crucis, in memorata insula ad nos vocatis, Domino .A. abbate. & domino Johanne priore, necnon & Domino Nicolao Cellerario, & Domino andrea sacrista dicte domus, ipsis supradictam insulam pro suo beneplacito & arbitrio tempore quo uoluerint & prout ex utraque parte iustum fuerit reliquimus diuidendam, ita tamen quod de domibus uel edificiis intra Curiam nostram edificatis nichil transferetur sed omnis edificacio in ipsa Curia facta non ex iure nostro, sed ex gracia predictorum monachorum nobis ibidem pacifice relinquatur Quod factum affirmamus litteris presentibus & subscriptis testibus uidelicet venerabili & prefato patre. Domino. A. abbate, & priore, ac Cellerario, necnon & sacrista supramemoratis, & Domino Benedicto quondam petri filio, & Discretis uiris, Domino fulwido sacerdote de Røslose. & Domino Ingone sacerdote de Hedeskyrke. Magno de kalstad, Symone de kydiawath, agmundo fulconis filio, Magno longo, Gøstauo, Hulmstano Colono in swerdinke. Hydino Sygonis filio. & Gvnnone villico de broby, Qui testes omnes huic ordinacioni interfuerunt ac testificarj potuerunt die & ter-